Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

AD EPHESEOS.

Fratres et si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis considerans temetipsum ne et tu tempteris. Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi. Nam siquis existimat se aliquid esse cum nichil sit ipse se seducit. Opus autem suum probet unusquisque et sic in semetipso tantum gloriam habebit et non in altero. Unusquisque enim onus suum portabit. Communicet autem is qui cathezizatur verbo ei qui se cathezizat in omnibus bonis. Nolite errare deus non irridetur. Que enim seminaverit homo hec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua de carne et metet corruptionem. Qui autem seminaverit in spiritu de spiritu metet vitam eternam. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes maxime autem ad domesticos fidei. Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu. Quicumque enim volunt placere in carne hii cogunt vos circumcidi tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt sed volunt vos circumcidi ut in carne vestra glorientur. Michi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Ihesu Christi per quem michi mundus crucifixus est et ego mundo. In Christo enim Ihesu neque circumcisio aliquid valet neque preputium sed nova creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint pax super illos et misericordia et super Israhel dei. De cetero michi nemo molestus sit. Ego enim stigmata domini nostri Ihesu Christi in corpore meo porto. Gratia domini nostri Ihesu Christi cum spiritu vestro fratres. Amen.

Argumentum.

Ephesii sunt Asiani. Hii accepto verbo veritatis perstiterunt in fide. Hos collaudat apostolus scribens eis ab urbe Roma de carcere per Thyticum dyaconum.

I.

Paulus apostolus Ihesu Christi per voluntatem dei sanctis omnibus qui sunt Ephesi et fidelibus in Christo Ihesu. Gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino Ihesu Christo. Benedictus deus et pater domini nostri Ihesu Christi qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate. Qui predestinavit nos in adoptionem filiorum per Ihesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis sue in laudem glorie sue in qua glorificavit nos in dilecto filio suo in quo habemus redemptionem per sanguinem eius in remissionem peccatorum secundum divitias glorie eius que superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia dei ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis sue secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo que in celis et que in terris sunt in ipso. In quo et nos sorte vocati sumus predestinati secundum propositum eius qui omnia operatur secundum consilium voluntatis sue ut simus in laude glorie eius nos qui ante speravimus in Christo. In quo et vos cum audissetis verbum veritatis